B. N. C.
FIRENZE
1035
5

1035.6

A I

IN FVNERE
ADMODVM R. P. MAG.
ANSELMI DE SETTIS
PERVSINI.

EX FAMILIA SERVITARVM.

ORATIO

R. D. ALPHONSI ALEXANDRII Peruſini Sacerd.
Habita Peruſiæ in Academia Inſenſatorum
Nonis Quintilis. M. D C V.

Iuſſu Perilluſtris, atq; Excellentiſs. D. CAESARIS CRISPOLTI *Patricij, & Canonici Peruſini, Et ipſius Academiæ Principis meritiſsimi.*



PERVSIÆ

Apud Academicos Auguſtos. Superiorum Permiſſu.
Anno Domini M. D. C V.

1035.6

IN FVNERE
R. P. MAG. ANSELMI DE SETTIS
ORATIO.

QVAMQVAM multos ab hinc dies Magiſtri Anſelmi de Settis peracerbus, & Academiæ noſtræ non minus, quam Seruitarum familię, luctuoſus interitus accidit; tamen, ſi funebri eum hodie oratione proſequor, & commune damnum conqueror, nemini debet mirum videri. Nam, qui ſic vitam inſtituerunt, atq; egerunt ſuam, vt virtute, & probitate excellerent, alioſq; tum voce, tum exemplo ad bene viuendum excitarent, intermori nunquam debet memoria, eorumq; interitus lugendi, ſi finis nunquam fiat, nec turpe eſt, nec indecorum exiſtimandum. Illud vero mirari quiſq; iure poteſt, ex eorum numero, qui in Academiam cooptati ſunt, cum quibus nec eruditione, nec ingenio ſum conferendus, me eſſe ad tanti viri laudes celebrandas iudicio tuo, Princeps Perilluſtris, atq; humaniſsime, delectum. Neq, vero ita facile adduci potuiſſem, Aud; vt vel tanti Principis iudicium, quo mirum in modum honeſtor, vel mea exiſtimatio in diſcrimen vocaretur, niſi quandam maculam, quam mihi nonnulli inurere non dubitarunt, diluendam putarem; qui quidem, cum in funere orationis habendæ ab ſodalitatis prępoſitis mihi oblatam eſſe prouinciam ſcirent, & ab alio ſupremum officium Magiſtro Anſelmo tributum vidiſſent, puſillo, ac ſordido animo præditum me cenſuerunt, omniaq; ad quęſtum referre iudicarunt, & ea commendatione propterea me

abſtinuiſſe diuulgarunt, quod nullam laboris mercedem propoſitam eſſe arbitrarer. Quamobrem, Princeps, Periluſtris, atq; humaniſsime; nihil eſt, quod pluribus mecum agas, & quo facilius ad grauem ſuſcipiendam adhorteris prouinciam, id te beneficij loco poſiturum affirmes. Ego enim tibi debeo plurimum, qui vno, eodemq; tempore, & meæ erga te obſeruantiæ declarandæ, & officij amico iucundiſsimo perſoluendi, & præpoſteræ quorundam de me conceptæ opinionis tollendæ, præbeas occaſionem. Etſi præclare intelligo ea in re pro mearum virium imbecillitate me perinde facturum, ac multos, qui quanto plus aliquem mirantur, quodq; ſentiunt, exprimere contendunt, eo minus id, quod cupiunt, aſſequuntur. Nam licet ego omnia magna, omnia præclara, omnia illuſtria animo conceperim; tamẽ verba in ipſo orationis quaſi veſtibulo mihi deeſſe ſentio, & moliri potius, quam aliquid tanto viro, quem deſideramus, tanto conſeſſu, quo reficior, ac recreor, tanto loco, vnde nihil non elaboratum exaudiri ſolet, afferre poſſe videor. Etenim Magiſtri Anſelmi animus tanquam uberrimus ager, cui quidem colendo primum parentum ſollicitudo, & cura, deinde Seruitarum familia multa ſuppeditauit, breui tempore admirabiles familię, patriæ, uniuerſæ tandem Italiæ prouentus afferre cœpit. Atq; ego quidem, ſic ſtatuo, Aud. maxima, eademq; mutua inter vrbem noſtram, & Seruitarum ſodalitatem merita, officiaq; extitiſſe. Nam vrbs viros peperit; Sodalitas educauit. Illa in lucem protulit; hęc ad laudis, & gloriæ faſtigium prouexit. Illa parentis, hæc nutricis partes ſuſtinuit. Hinc Magiſtri præſtantiſsimi, atq; clariſsimi, qui doctrinę, prudentiæ, probitatiſq; laude inſignes, parem vtriq; gratiam retulerunt, Gratianus de Gratianis, & Gaudioſus Floridus, Ciues Peruſini, qui omnia ſodalitatis negotia in alma vrbe diu, multumq; adminiſtrarunt. Hinc Magiſter Nicolaus, qui omnibus functus honoribus tandem Florentiæ an-

no

no M. CCCC. XXVII. Generalis Magiſter renunciatus, tres ac triginta annos maxima cum laude eam perſonam ſuſtinuit. Hinc Magiſter Andreas, vir doctiſsimus, idemq; integerrimus, qui Peruſiæ in Comitijs Generalibus, anno M. CCCC. LXXXXVII. vniuerſo ordini eſt præpoſitus. In eandem ſodalitatem cooptatus Anſelmus, annum quartum, ac decimum agens, permagnum ad parentis, ac nutricis laudem ſua virtute cumulum additurus, tantum in litteris, boniſq; moribus proficiebat, nihil vt eo eſſet perfectius, nihil omnibus numeris abſolutius. Etenim non ſolum in Grammatica, Rethorica, ac Poëtica facultate magna cum ingenij laude ſeſe exercebat, ſed in Dialectica ita verſabatur, vt excelleret, atq; ijs, qui in illa tradenda ferè conſenuerant, præſtare videretur. Cui rei illud eſt argumento, quod paucis poſt annis Florentiam ſtudiorum Magiſter, ideſt ad Dialecticam in celeberrimo Cœnobio profitendam, accerſitur. In cuius tractatione non modo de ſe concitatam opinionem præclare ſuſtinuit, ſed auxit, atq; ſuperauit, cum omnino ſummum, & humano captu maius videretur, quod ille tam cito, tam tenera ętate, tam breui tempore conſecutus erat, quodq; extrema ſenectute vix cuiquam optabile videretur. Triennio elapſo, Bononiam, vbi Seruitarum ſtudia florent, ac vigent, ad eandem facultatem docendam, mittitur; quam ita grauiter, erudite, copioſe tractabat; vt octo poſt menſes, quam eo venerat, omnium iudicio digniſsimus haberetur, qui philoſophiam doceret. Ad quē maximus fiebat concurſus, non eorum modo, qui eandē vitę rationē profitebantur, ſed quicunq; ſtudiorū cupiditate flagrabant, illius doctrinę, ac diligētiæ fama permoti, ad illum audiendum quotidie confluebant. Inter quos fuit Ampliſsimus, ac Nobiliſſimus vir, quē Bononiæ vulgo Magionis Equitem appellant, Ludouicus Vrſinus, qui eo vſus pręceptore magnos in artibus liberalibus proceſſus fecit, ac pręceptoris induſtriam eſt profuſa liberalitate proſequutus. In-

de

de in patriam reuertitur, vt tanquam rerum omnium cōpia inſtructiſsimus mercator, diuitiarum ſuarum theſauros communicaret quamplurimis. Peruſię vero non tantum ijs, qui in Sodalitio S. Mariæ Seruorum, viuebant ſed omnibus magnopere prodeſſe ſtuduit. Proinde aliquot honeſtiſsimis viris coactis, vna cum ijs ſępiſsime de litteris colloquebatur; Ex quorum conuentu Inſenſatorum Academia, quę hoc tempore in hac vrbe floret, originem duxit; quam deinde Magiſter Anſelmus ſtudioſiſsime fouit, & quantum in eo fuit, exampliſicauit. Qua in re & vrbi non mediocri ornamento fuit, & noſtris iuuenibus magnopere conſuluit. Quot enim, & quam multi clariſsimi, ac præſtantiſsimi viri in eam adſcribi voluerunt Academiam? An non permagnum vrbis noſtræ ornamentum, quod Illuſtriſsimi Marchiones, Cornei, & Eſtenſes, quod Ampliſsimi Præſules, quod nonnulli ex ijs, qui Romæ Duodecemuiri ſtlitibus Fiſcalibus iudicandis præſunt, quod Illuſtriſsimi Cardinales in hoc album nomen referri ſuum, ęquiſsimo animo patiantur? Quid nam huic iuuentuti vtilius, ac fructuoſius, quam vt palęſtram litterariam habeant paratam, in qua ſe ſe exercentes, de ingenio, ac doctrina periclitentur? Quod igitur vrbem noſtram illuſtriſsimi viri cohoneſtent, quod ſtudia vigeant, quod iuuenes ad virtutem excitentur, quod campus exercendæ virtutis non deſideretur; hæc omnia Anſelmo accepta referre debemus: cuius etiam virtuti pręclariſsimum Seruitarum præpoſiti teſtimonium dixerunt, qui contra communem conſuetudinem ante Magiſtro Anſelmo Theologię docendę munus demandarunt, quam Magiſtralem lauream conſequeretur. O magnum eximiæ virtutis teſtimonium. O laudem pręclariſsimam, & ante hanc diem quam paucisſimis, ac fortaſſe in vniuerſa ſodalitate nemini tributam. Etenim vt ceteræ artes a iunioribus tractari ſoleant; huic tamen arti propter excellentiam tantum honoris habitum eſt, vt ea myſteria nefas ſit, ac piaculum

ab eo

ab eo tractari, cuius doctrina non ſolum probata, ſed debito honore cohoneſtata non ſit. Epaminondam olim, cum priuatus militaret, Thebanorum Ducem, atq; Imperatorem delectum eſſe accepimus, & quem fauor, atq; hominum gratia præterierat, merita ipſius, ac præclaræ res geſtæ ad ſummum honoris apicem prouexerunt; ſic Magiſtrum Anſelmum, quãuis de ſe, ſuaq; virtute humillime ſentiret, nec eos quæreret honores, de quibus ceteri digladiari ſolent, honores tamen, velut vmbra corpus, vltro conſequebantur. Hic vero, Aud. nolite expectare, dum multas, gloriæq; pleniſsimas palæſtras, in quibus, veluti pleno theatro ſpectatiſsima fuit eius virtus, vobis commemorem, cum vel ipſe de grauiſsimis facultatibus publice reſponderet, vel reſpondentes alios ipſe impugnaret. Namq;, vt peritus palæſtrita, reſpondendo illæſum, & intactum ab Antagoniſta corpus conſeruabat, & impugnando cædebat grauiſsime, ac feriebat aduerſarium. Memini equidem illius diſputationis, cum Pater Anſelmus, grauiſsimorum hominum adſtante corona, in arenam deſcendit, & de Chriſto Mediatore cum homine Theologo, & inter viros ſodalitatis illius facile principe, grauiter diſputans, ita vrgebat, vt aduerſarius manus dare, ſeq; victum fateri cogeretur. Ex qua diſputatione tantum ad Anſelmi laudem, nominiſq; celebritatem acceſsionis factum eſt, vt in Seruitarum Familia, quicunq; poſtea in Comitijs Prouincialibus, aut Generalibus reſponſuri eſſent, illius patrocinium expeterent. Inibi res erat, vt eius doctrina, nõ obſcuro, nec vario ſermone, ſed clariſsima, & vna omniũ voce prædicaretur. Quare in Magiſtrorũ, ac Theologorum Collegium relatus, cum ampliore quidem, atq; illuſtriore nomine, non tamen maiore cum dignitate, & ſplendore Theologiam tractabat; oſtenditq;, gratiam, & honores non cupientibus eſſe opportuniora. In id temporis inciderunt Comitia Generalia, quæ Romæ habebantur, in quibus Magiſter Anſelmus ſummo omnium Patrum conſenſu

Prouinciæ

Prouinciæ Romanæ præponitur. In cuius adminiſtratione, ne multa conſecter, ſeueritatem cum clementia, quæ duæ res in Rectore, ac Moderatore maxime neceſſariæ ſunt, ita coniunctam habuit, vt & omnes paterna charitate complecteretur, & nimiam quorundam licentiam coërceret aſperius. Solent puerorum infantium corpuſcula nutrices premere paulo acerbius, vt oris lineamenta, ac membra ad concinnitatem, formoſitatemq; redigant; ita Anſelmus, vt eorum, quibus pręerat, animos ad virtutem dirigeret, in eos interdum inuehi ſolebat. Incredibile dictu eſt, quam multa correxerit, ſuſtulerit, reſtituerit; vt totidem vulnera ſanaſſe, immo vero monſtra, minora fortaſſe, ſed longe plura, quam Hercules, domuiſſe uideatur. Quæ tamen reprehendendi ratio non odium, ſed amorem, tantumq; amorem ei conciliauit, vt cum ſe ſe ante triennium, in quod tempus Magiſtratus ille creari ſolet, præfectura abdicare ſtatuiſſet, & lampada curſu, quod aiunt, alteri tradere decreuiſſet, omnia prouinciæ Coenobia, cum eo, qui ſodalitati præerat, ſummis precibus egerint, ne id fieri pateretur. Quare trium annorum munere abſoluto, propter ſingularem prudentiam, quam in adminiſtrando præſetulerat, ne iterum reficeretur, ægre à patribus impetrauit. Ea prouincia depoſita; ab Aurelio Menochio, cuius ductu, atq; auſpicio illa ſocietas regebatur, vt Sacram Theologiam profiteretur, iterum Bononiam remittitur. Superuacaneum eſt multa conſectari, vt egregia eius doctrina eluceſcat, cum teſtes eius rei habeamus locupletiſsimos, ipſum Aurelium Menochium, Michaelem Florentinum, ceteroſq; eius notæ viros, qui inter Seruitas primas ſibi partes ob doctrinam, & probitatem vindicarunt, quiq; Magiſtro Anſelmo præclariſsima quæq; ſtudiorum munera demandarunt. Habemus Ampliſsimos Pincipes, & Præſules, qui vel illum adhibebant in conſilium, vel nepotes, & conſanguineos

ſanguineos in diſciplinam ei tradebant. Habemus Monachos Caſſinenſes, qui ex eo fonte vberrimo, & copioſiſsimo Philoſophiæ, ac Theologiæ præcepta ſex, & decem annos maxima cum vtilitate hauſerunt. Habemus Apliſsimum Paſtorem noſtrum, Neapolionem Comitolum, qui ob ſingularem eruditionem, atq; ſanctitatem inſtar omnium eſt, cui nihil non egregium, non rarum, non eximium probari poteſt, qui neminem aliquo ſacerdotio cohoneſtare, vel ſacris initiare volebat, quem, ſi fieri poſſet, Anſelmus iudicio, ac teſtimonio ſuo non probaſſet. Habemus nobiliſsimæ cuiuſq; Italiæ vrbis oppidanos, ac ciues, qui eius eloquentiam in ſacris concionibus dilaudarunt, atq; adeo ita admirati ſunt, vt poſt quadraginta dierum labores abeuntem vltro Ciuitate donarint. Sed nulla ex re qualis, quantuſq; in ſcientijs fuerit Anſelmus, liquidius, quam ex eius lucubrationibus, apparet, quæ ſunt pleniſsimæ eruditionis reconditæ. Mitto eas, quas ad cuiuſdam Raymundi artem, De Modo inueniendi, etſi perinuitus, contulit; quem quidem laborem Iulij Abbatis de Rucre, Hieronymi Card. Nepotis, qui eo præceptore Peruſiæ ad Philoſophiam perdiſcendam vſus erat, precibus fatigatus, ſubterfugere nequiuit: quas idem Iulius, confecto ſtudiorum curſu, Romam reuertens, ſecum aſportare voluit. Mitto eas, quibus ipſe ſua ſponte Topicorum Ariſtotelis libros ad breuiorem, facilioremq; viam redegit, quæ eruditiſſimo cuiq; mirum in modum probatæ ſunt, & præſertim Alexandro Magio, Viro Ampliſſimo, Peruſiæ Prolegato, atq; omnium artium varietate inſtructiſſimo, qui earum etiam exemplum ſibi dari voluit. Sed quas in octo libros, quibus auctor, De Phyſico Auditu, nomen fecit, inſtitutas reliquit, pulchritudine, vtilitate, neceſſitate omnibus præſtant. Atq; in tribus quidem prioribus libris, nihil ſane reliqui fecit, quod ad mentem ac ſententiam acutiſſimi Philoſophi percipiendam

pertinere videatur. Nihil enim in ijs libris eſt, aut tam anceps, quod Anſelmus non diſtinxerit, aut tam obſcurum, cui lucem non attulerit, aut tam reconditum, quod ingenij acumine non eruerit; quibus profecto ſi quid coneris adiungere, idem ſit, ac ſi in Apellis aliqua abſolutiſsima imagine elabores. En, Patres Religioſsimi, qui in Seruorum ſodalitate viuitis, præclaram de ſodalitatis veſtræ alumno, de vobis ipſis, de hac vrbe, de vniuerſa philoſophia benemerendi occaſionem. Cauete, ne vos ipſos laude, Magiſtrum Anſelmum gloria, ſtudioſos eximia vtilitate priuetis. Ille quidem, quantum in ipſo fuit, familiam illuſtrare ſtuduit, veſtri iam conſilij eſt, velitisne aliquod eius voluntatis apud poſteros extare monumentum. Magna erit laus familiæ extitiſſe tanti filij parentem: at cauete, per Deum immortalem, ne maius ſit dedecus, tam vtilibus lucubrationibus compreſsis, illius honori aut inuidiſſe, aut conſultum noluiſſe. Præbuiſtis vos quidem certe erga Anſelmum in vita ſtudium veſtrum, atq; obſeruantiam, in morbo obſequium, in funere pietatem; cauete, ne poſt obitum in laude, & gloria aut illiberales, aut parum ſinceri videamini. Certate in eius commendatione cum præclariſsimis viris, qui varijs illum carminibus, atq; encomijs celebrant. Certate cum Academia nobiliſsima, quæ præſefert doloris, ac mœſtitiæ ſignificationem. Certate cum illius meritis, quæ tot, ac tam multa ſunt, vt cum omnia ei officia perſolueritis, longe tamen, multumq; infra eius dignitatem ea eſſe fateamini. Neq; enim via lactea Cœli, quam Græci γαλαξίαν appellant, ita ſiderum varietate diſtincta eſt, quam Magiſtri Anſelmi animum omnibus virtutum ſplendoribus illuſtratum conſpeximus; non earum modo tractatione artium, quarum cognitione mens animuſq; hominis perficitur, ſed earum etiam, quæ conſuetudinem efficiunt iucundiorem. Muſica enim & fidibus

ita

ita delectatus eſt, vt in vna veterum laudem plane ęquatit, in altera vero ſuperarit. Nam ſubſeciuas horas, quas pleriq; vel ſomno, vel ludis tribuunt, ille ad artes liberales, atq; ingenuo homine dignas conferens, nullam temporis partem abire inanem patiebatur. Et in Muſica quidem tantum conſecutus eſt, vt multas res ſacras, præſertim ad Beatiſſimæ Virginis, quam ille ſummo ſtudio, & pietate coluit, laudem pertinentes, Muſice expreſſerit, quas omnium iudicio comprobatas, Florentiam miſit, ac S. Mariæ Annunciatæ conſecrauit. Quod ſodalitium omnibus alijs Seruitarum Domicilijs, nobilitate, ac dignitate præſtat; & ipſum templum, ſi ab vna vel altera Aede, B. Virgini ſacra diſceſſeris, eſt adeo celebre & illuſtre, vt hoc vnum ſit ceteris templis ſanctius, atq; auguſtius. Fidibus vero ita excelluit, vt, noua earum inuenta forma, iucunditatem aurium effecerit pleniorem. Quod ſi ex his rebus, quæ apparent, earum, quæ in animo inſunt, coniectura fieri poteſt, Ecquis non videat, quanta fuerit intus virtutum ſuauitas, quanta iucunditas, quantus concentus? Ita natus, ac factus, ita altus, atq; educatus, ita eruditus, atq; inſtitutus erat Anſelmus, vt quemadmodum nemini ſecundus erat ingenio, ita nec probitate eſſet inferior. In viridi ætate cana quædam maturitas inerat, vt qui eum loquentem ſenes audirent, grauitatem, ac prudentiam admirarentur. Pietatem, & religionem pæne cum ipſius parentis lacte exuxiſſe videtur, eamq; non modo in ſe ſtudioſe coluit, ſed & omnes ad eandem hortari, atq; excitare ſtuduit. Duæ ſunt in Aede S. Mariæ Seruorum Societates, vna virorum, Mulierum altera; quarum primę Magiſter Anſelmus auctor fuit, eamdemq; ſaluberrimis inſtitutis confirmauit; alteram vero induſtria, opera, hortationibus non mediocriter amplificauit. Parſimonia eius, ac temperantia, qua in victu, & ſomno vſus eſt, cui nã admirationẽ non afferat? ſomno exiguã temporis partem tribuens, de multa nocte ſurgebat, vt ſacras

precationes obiret, diuinaſq; caneret laudes, atq; optimarum artium ſtudia repeteret; perraro vno, eodemq; die bis cibum ſumebat, ſed ſemel dumtaxat, idq; veſperi faciebat, quippe qui cibo, ſomnoq; graues ad contemplandum eſſe aptos, negaret. Liberalitatis laude excelluit, qui cum pro vitæ inſtituto intra cœnobitarum parietes præcioſas res habere non poſſet ad largiendum; quod certe proximum eſt, ac fortaſſe maius, illi non defuit. Siquidem eius libri ac lucubrationes, quæ auctoribus non minus, quam liberi parentibus, magis certe, quam pecuniæ, in amoribus, ac delicijs eſſe ſolent, nemini non patuerunt: quibus ad dicendum, docendum, reſpondendum, impugnandum cuiq; ſuo arbitratu vti licebat. Benignitas in eo tanta erat, vt ex vultu, atq; ore emicaret. Neminem à ſe excludebat, & ſiue auxilio, ſiue conſilio opus eſſet, nemini præſto non erat. Ab omni faſtu, ac ſuperbia quam longiſsime abfuit, magis parere, quam alijs imperare cupiens. Id quod ex eo licet facile cognoſcere, propterea quod ſemel, atq; iterum Cœnobio Peruſino præpoſitus, cum ea cura in biennium demandetur, ipſe altero ſui magiſtratus anno prouinciam depoſuerit; quam non vt vilem ac vulgarem deſpexit, ſed requietis amans, ea omnia, quæ a ſtudijs animum auocare poterant, neglexit: Extant adhuc litteræ ab Iulio, Cardinalis de Ruere nepote ad illum humaniſsime perſcriptæ, per quas patrui precibus Epiſcopalem ei dignitatem a Summo Pontifice deſtinatam ſignificabat. Nec diu eſt, cum Romam ad ampliſsimum ſacerdotium petendum a ſummis viris vocatus eſt; quas ille dignitates, honoris, gloriæ, amplitudinis plenas, ſui fruendi otij cupidiſsimus, nec vnquam appetendas, nec oblatas ſuſcipiendas exiſtimauit. Prudentia ſummam illi auctoritatem, grauitatemq; conciliarat, vt ad grauiora negotia pertractanda omnes Anſelmum depoſcerent. Itaq; ſi pax inter ali-

quos

quos, ſimultatibus interrupta concilianda erat; rogabatur Anſelmus. Si inter beneuolos, ac propinquos iurgium oriretur; tollebat Anſelmus. Si lites, ſi controuerſię, ſi concertationes componendæ erant; harum rerum partes ſibi vindicabat Anſelmus. Si cum Præſulibus, atq; Epiſcopo de re paulo grauiore agendum; Agebat Anſelmus; a quibus numquam, infecta re, diſcedebat, cui iuſta petenti negare nihil auderent. Sed nihil, meo quidem iudicio æque in illo admirabile eſt, quam in iniurijs perferendis animi remiſsio quædam, ac patientia ſingularis. Etenim ſicut tempeſtates in mari nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa interdum concitantur: ita paucorum maleuolentia, & inuidia, contra probos viros ſæpe numero tempeſtates excitantur: quæ tamen ab Anſelmo, tanquam fluctus a ſaxo, forti, præſentiq;animo fractæ ſunt; omniſq; inimicorum impetus, eſt, tanquam ignis in aquam coniectus, quam facillime extinctus. His alijſq; virtutibus incredibile dictu eſt, Aud. quantum illi ſemper non modo a ſodalitatis ſuæ præpoſitis, ſed ab omnibus ordinibus tributum ſit. Etenim qui vniuerſo ordini Seruitarum præerant, nihil, Magiſtro Anſelmo in conſulto, de rebus grauioribus decernebant; eundemq; ad cauſas cognoſcendas, quotieſcunq; res ac tempus poſtulabat, vltro mittebant. Non ſemel, ſed iterum, ac tertium, cum Miniſter Generalis Prouincialibus Comitijs intereſſe non poſſet, Anſelmi vicaria opera eſt vſus. Quid? quod Ampliſsimi Cardinales, qui moribus corrigendis, ac reformandis præſunt, eundem varia in loca, maximo cum imperio, ſummaq; auctoritate ad multas cauſas cognoſcendas legarunt? Quibus quidem in muneribus, cum ſemper magnam, tum vero maximam integritatis laudem adeptus eſt; quod, cum inuidos ac maleuolos, a quibus oppugnatus erat, aliquorum facinorum conſcios, ac participes offendiſſet, eoſdemq; vlciſci poſſet;

tamen, ne quam odij, aut ſimultatum, quarum memoriam ita depoſuerat, vt reliquiarum in animo nihil penitus reſideret, ſuſpicionem afferret; totas eorum cauſas maioribus integras reſeruauit. Eo ipſo die, quo vita functus eſt, allatæ ſunt a Magiſtro Generali litteræ, per quas tale quiddam ei demandabat. Sed, O inuidam mortem, cur tantum terris inuides bonum? Cur nam in præclariſsimarum rerum, & laudabilium actionum curſu Anſelmum æterna memoria, vitaq; digniſsimum opprimis? Nam (Proh dolor) ſuperiore menſe, Die Dominico, Pridie Idus, poſt rem ſacrã ex more factam, cum alijs accumbens, repente ſpiritu ac membris deſtituitur. A menſa, cum ad cubiculum deduceretur, inter eorum manus, & brachia, quibus innitebatur, pæne concidit mortuus. Tandem, arte adhibita, vt ſe ſe collegit, ſublatis oculis, primum Deum Optimum Maximum veneratus eſt, deinde ijs, qui præſto fuerant, de officio ei præſtito gratias ingentes egit. Interim Medici coguntur, eaq; remedia, quæ præſentiſsima videbantur, adhibent, quę tamen omnia inutilia, atq; inania fuerunt. Etenim poſtridie mane, ea ipſa hora, qua Sol, Antipodum orbe decurſo, ad nos redire ſolet, Tertium, & ſexageſimum annum agens, magno vrbis, & Sodalitatis deſiderio, & maxima Cœnobij conſternatione, ex hac teterrima rerum colluuione, ad beatam, & ęternam vitam euolauit. Id quod potiſsimum Sacroſanctæ Euchariſtiæ, eodem die ab illo ſuſceptæ perceptio, & ipſum diei tempus, quo ceſſit e vita, nobis polliceri, atq; adeo confirmare videntur. Nam ſicut Anſelmus, dum vixit, ſolis inſtar ſingularis doctrinæ, atq; eximiæ facundiæ quaſi radijs multorum mentibus, ignorantiæ nocte diſiecta, lumen attulerat, ita terris moriens cum Sol exoritur, Cœleſtium choro naſci incepit. Quare Magiſter Anſelme, vir præclariſsime, nihil eſt quod tua cauſa doleamus, ſed gratulemur potius, qui ſatis ætati,

ſatis

ſatis gloriæ, ſatis laudi vixiſti, & nunc laborum tuorum fructum percipis vberrimum, & cum Deo coniunctus, bonis omnibus circumfluis. At vero, Aud. dolendum ipſius Matri, quæ ſenio confecta in beneuolentia, & charitate dulciſsimi filij conquieſcebat, & nunc illo orbata in mœrore, ac ſquallore iacet, ac luget. Dolendum amicis, qui eius familiaritate, dulciſsimaq; conſuetudine priuantur. Dolendum Seruitarum inclitæ Sodalitati, quæ eius morte plurimum amiſit ornamenti. Dolendum propinquis, qui maxima ſpe, ideſt tanti viri patrocinio, atq; ope deſtituuntur. Dolendum Patriæ, quæ miſerrimis, ac perditis temporibus eximia virtute filium perdidit. Dolendum ijs, qui ad illum audiendum, cum de rebus, ad ſalutem animarum pertinentibus, publice maxima cum audientium vtilitate diſſereret, diebus feſtis confluebant. Dolendum deniq; nobis omnibus, Academici Ornatiſsimi, qui eum de ſuperiore loco ſæpiſsime de rebus difficillimis tractantem eximia cum animi iucunditate audire ſolebamus, & poſthac qualis, quantuſq; fuerit Anſelmus, carendo magis, quam audiendo, aut fruendo ſentiemus.

DIXI.

99 95 6766

1035.6
Z